



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Cur monachi sese singulari habitu contega[n]t. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

quāto magis domesticos eius? Item: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequuntur. Ex quibus id potest perspicuè intelligi eos lupos suapte malitia effici, qui alios persequantur, non qui persecutionem sustineant. Qui enim persecutionibus infestantur, eos oues rectius, quam lupos dixeris. *MILES*. Hac ex causa lupos vos appellari conuenit, quod ut Christus ait, vestimentis ouium recti cum sitis, intus estis lupi rapaces. *MONACH*. Quibus scriptis conuinci potest ea Christi verba ad nos pertinere quæ quidem ipsum de Pharisæis dixisse constat, non ita tamen, ut eorum damnaret vitæ institutum, (quod utique bonum erat, & pios multos complectebatur) sed ut hypocrisim retunderet, qua ex ijs quidam laborabant, sicut & in omni vitæ genere eo vitio quidam decinentur: quando nonnullos fere ubique reperire licet, qui vitæ sanctæ speciem quandam præ se ferant tantum, ut humanam capient gloriolam quandam vel existimationem, aut alterius temporalis commodi gratia, cuius farinae sunt, qui Deum integro corde non querunt sed sese potius spectant, in suisq; actionibus sinistra quadam intentione ducuntur. Quicquid enim agunt, non ex Dei, sed priuato amore proficiscitur. Tales sunt in primis patriarcha vester Lutherus deinde fallacissimac seductores Apostoli eius, qui dissensiones & offendicula faciunt, & per dulces sermones falsamq; diuinorum scriptorum interpretationem mundū euertunt atque seducunt: à quibus ut caueamus nobis, Apostolus nos commonet. Et Christus ipse, vbi aduersum eiusmodi prophetas nos pramonuerat adiecit: *A fructibus eorum cognoscetis eos. Omnis arbor bona, bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit.* Vide iam obsecro loca omnia, vrbes & regiones, vbi Lutheri secta dominium obtinet, qui ibi fructus existant, illi scilicet omnes, quos Apostolus ad Galatas, fructus carnis appellat dicens: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur: Hi igitur fructus sunt, qui ex vestri pseudanglij architecto cunctisq; illius sectatoribus exorientur.*

Cum monachi singulari sese habitu contegant.

Caput II.

Georgius miles.

HAC ex causa lupos vos dici conuenit quod specialem quandam desertis habitum, velut sancti quidam, cum tamen æque sitis homines, ut ceteri, imò sapius etiā peiores ceteris. *MONACHVS*. Si propterea lupi sumus, quod dissectas & laciniolas non gerimus vestes, uti vos facitis & alij quidam, necesse est etiam Heliam, Helizeum, & prophetas alios, itemq; Domini Baptistam Ioannem lupos fuisse, ut qui minime vulgari vti sint indumenti genere, & ab alijs sese seiuixerint. Imò verò etiam Christus Optimus Maximus, quod nephas sit dicere, lupus erit vestro quidem iudicio, si reperis in terras subucula petulāter implicata & aureis filis supernè intexta, aut veste quæ confectas & laqueis circumdatis limbis manicas non habeat mi-

Oues Christi quænam veras efficiant. Matt. 7

Lutheri & suorum sectatorum opus quod. Rom. 16

Matt. 7.

Gala. 5.

3 Reg. 17.
4 Reg. 1.
Matt. 5. 11.
Marc. 1.

Ioan. 19.
Luc. 2.

at, minime vtatur. *MILES*. Dic mihi obsecro cur vos monachi peculiare vestimenti genus assumitis? *MONACHVS*. Quæso te cur & tu alium geris habitum, atque rusticus, & idem ipse alium quàm ciuium aut mechanicus quispiam, isq; non eundem, mercator atque ij omnes dissimilem ab eo, qui sacerdotibus, vel doctibus vel canonicis in vsu est? *MILES*. Olim quidem fuerit fortassis in diuersis hominum statibus eiuscemodi vestium discrimē at nostra ætate reuera perexiguum est: quando rusticus ciuium, mechanicus nobilium, sacerdos militum habitum æmulatur, soli vos monachi vestrum retinetis cucullum.

MONACH. Relucet ergo vel ex hoc solo vitæ religiosæ, vel cenobiticæ constantia, vt quæ perpetim antiquam illam & priscam vestium speciem referuet. Quod libet enim institutum monasticum suum retinet habitum, quem à primis suis autoribus & architectis quorū quidam ante mille vixere annos, suscepit: cum tamen vos seculares non illius modo temporis intervallo, sed quolibet fermè trienio vestes in alias formas mutetis, ita vt quarto quoque anno nouo vestimenti genere vtamini. Olim quidem nobiles insigniori præ ciuibus habitu induebantur: at nunc quando ciues sericis sese vestibus contegunt, nobiles cinericij coloris rudi panno teguntur. *MILES*. Huius ratio est, quod ciues & negociatores merces omnes & mimos sibi cooperuet, atque ea re suis opibus & præclaris vestibus alijs sese anteponant. Vellem per animam meam interim mihi copia daretur eiusmodi pingues vsquam apprehendendi arietes, qui cum nullis natalium insignibus præditi sunt, tamen nobiles se haberi volunt: equidem eos egregie tonderem. *MONACH*. Noli obsecro tam temerè iurare, neque tam malignum erga quemquam animum gerere, aut aliena appetere. Quod ciues quidam opulenti, sunt eorum cura & labore actum est, quæ pro rebus temporarijs lucrandis impendunt. Ea autem ab eis, imo vel à quolibet mortalium velle auferre, vt ipse nostri non est Euangelio consentaneum. Non ergo tibi religio est eiusmodi esse voluntatis, vt ea auferre cupias. *MILES*. Fem quæ isthæc monachorum deliramenta sunt: quid hæc meam grauent conscientiam? Decet hoc militem, quod nisi ita esset, quantum me oportebat angere animo, quando quodam loco hospiti meo sex aureis mansi obligatus, & vna nocte quicquid habui numerum vna cū sacculo aleis perdidit? *MONACHVS*. Ve igitur hospiti satis fecisti? *MILES*. Equidem necdum illi satisfeci. *MONACHVS*. Quæ tandem ratione à illo recessisti? *MILES*. Cū nihil præter equum reliquum haberem, eumq; hospes suo iure sibi retinere vellet, eiuscemodi tragædiam excitauit, vt me, se licet insoluto, inde abscedere gauderet. *MONACHVS*. Etiam hoc Euangelio fuit consentaneum. Certè Deum timere debueras. *MILES*. Monachorum & monialium sit iste timor: sed ab instituto dilabimur. Necdum mihi satis fecisti, quæ tandem ratione vos monachi alio, atque nos vestimentis schemate vtamini. *MONACHVS*. Ea scilicet, quod secus, atque vos viuamus. Cum enim vitra communem præceptorum viam, quæ omnes ingredi tenentur, arctius nos & seuerius Deo obligemus, cum item multa & agamus & omittamus quæ vos nec agitis, nec omittitis, idcirco etiam humili nos vestimento, nepe cucullo induimus, qui nos propositi nostri & eius quæ amplexi sumus canonis obseruandi commonefacit, item nobis in mentem

Habitus monastici antiquitas.

Habitus secularis & curiosi causa quæ.

Cucullus cuiusnā rei monachum admonet.

reducatur quemadmodum ab habitu seculari disjungimur, ita & ab actione seculari alienos & disinctos nos esse oportere. Quod si tibi in Dei seruis iniquum videtur multo quidem iniquius fuerit hominum, vel vrbium, vel principum ministros dominorum suorum vestes gerere ab aliorum vestibus colore atque etiam alijs quibusdam signis discretas, vnde etiam cuiusnam domini sint, possunt internosci. Neque id tamen quisquam reprehendit: imò etiam gloriosum ducitur, si quis alicuius prapotentis domini vestitus tanquam ascitus & ascriptitius ac peculiaris illius minister, ad eiusq; pertinens familiam, donatus sit. Sed & domini vel principes id sibi honorificum putant, si famuli sui extraneo posthabito cultu, ipsorum, id est, dominorū vestibus vtantur. Hunc in modum cogitare debebis Dei quoque seruos religiosum gestare habitum ad honorem Dei, eum videlicet, quem primi eorū patres in diuini famulatus signum suscépere. *MILES.* Non vos soli estis Dei serui, nos quoque illius sumus. Si ergo sic se res haberet, vt ipse ais, oporteret omnes nos cucullis contegi. *MONACH.* Verum quidem est pios omnes Christicolas Dei ministros esse: inter eos tamen quidam ex abundantiori charitate atque in maioris erga suum dominum, id est, Deum, fidelitatis argumentum sponte sua nemine cogente diuinæ exequendæ voluntati excellentius atque perfectius sese tradunt, quam alijs, in commune præceptum sit, id est, nedum præcepta Dei, sed etiam quæcunque illi placere norunt, exequi student, eoque omnem suam referunt ac dirigunt vitam, vt ab mundanis abstracti rebus vni Deo in illius cultu ac famulatu adhæreant, ei totos se dedant, atque aded etiam vobis illi se adstringant. Et hac de causa simplicem & huic mundo despectum ferunt habitum, tanquam peculiare Dei serui. Deo penitus dediti & mancipati, quemadmodum. Leuitæ olim in veteri testamento, *MILES.* Facitis hoc nimirum in vestri gloriam, ac nostri despectum, vt cum nos eiusmodi seruitutem amplexi non sumus vos singulares Dei ministri appellemini. *MON.* Neutiquam sanè ea re animis extollimur, nec vos aspernamur: potius miseret nos vestri, q̄ interim quadam adacti necessitate, interim propria ducti voluntate vsq; aded mundi vos negocijs immergitis, vt animarum vestrarum cultusq; diuini prorsus obliuiscimini. Deinde vbi attendimus per vos defedi & nos adiuuari quo tràquillè & pacificè in Dei cultu permanere quæamus, Deum pro vobis obsecrare solemus: neque dubium est, etiam si vos ipsi in Dei famulatu & cultu tam diu tantq; seuerè & rigidè perseverare non possitis, auxilio tamen estis, vt qui iam nū diuino sunt addicti cultui, in eo permaneant, etiam vos apud Deum illius famulos haberi, ab eoq; præmium consequi, tanquam qui eius cultum promoveritis, atque tutati sitis. *MILES.* Facile mihi hoc pacto persuaseris, vt me peniteat toties damnâ cœnobijs intulisse, eisq; fuisse oneri ac sumptui. Soleo namque apud monachos hospitium deligere, sūptus facere, equos ad eorū præsepia collocare, non quidem pietatis aut deuotionis gratia, sed vt meis parcam impendijs & cætera. Verum agi iam cœpta prosequamur. Dic mihi oro, vndenam vel quando monachis in mentem venit, vt tale viuendi genus assumerent, quo se diuino cultui seuerius obligarent aut dederent? Cur non idem perspectum habuerunt, atque fecere illi, è quibus fides nostra sūp̄ exordium ac incrementum, *MONACHVS.* Non absurda est hæc tua percon-

Habitus ab-
iectior mo-
nachorum
quid desi-
gnat.

Num. 3
Deut. 14.

percontatio. Erras autem, quod putas eiusmodi religionem ac pietatem nō semper in mundo extitisse. Nā & in veteri & in nouo testamento religiosi fuerē, qui ex singulari quadam animi pietate, vel deuotione præ cæteris mortalibus vitæ quoddam institutum susceperunt, vbi ultra communia Dei præcepta formam quādam præscriptam haberent in Dei beneplacito exequendo sublimius & angustius sese exercendi. Atque adeo primus ille in nouo testamento Christianæ religionis status nihil ab hac monastica discrepabat viuendi ratione, qui posteaquam apud Christianæ pietatis professores communiter obseruari desijt, denuo excitatus est, non quidem generatim pro omnibus, sed pro quibusdam speciatim, singulari deuotione præditis, idq; passim certis quibusdam locis, quæ nunc cœnobiaz dicuntur, qua de re pluribus agere nihil attinet, quando libellus quidam à Ioanne Lanspergio Carthusiano editus, est, quem apud me habeo, isquē Imperatori dedicatus, vbi perspicuè satis explicatur, quid monastica sit vita, vnde traxerit originē & vt semper fuerit, etiam sub veteri lege, tamen si monachorum aut cœnobiorum nomen non semper fuit. *MILES.* Hicne liber est? *MONAC.* Est. *MIL.* Monachi effigiē illi impressā video. *MONAC.* Quid refert tandem monachi an alterius figura illi impressa sit? *MILES.* Per Deum immortalem, perq; Sanctos omnes illum perlegam, licet vel cacodæmonis gerat impressum simulachrum. *MONAC.* Quæso t. Georgi ne tam sis blasphemus in Deum & Sanctos eius. Quid verò hisce iuramentis & blasphemijs vti attinet? *MILES.* Non possum ab his abstinere, quippe quibus à teneris assueuimō quando à iuramentis mihi tempero, non mihi ciuilis esse videor, pudetq; me alijs vti verbis. *MONACHVS.* Et quæ hæc obsecro verecundia est? Deum potius timeres, & ab hac consuetudine paulatim desuesceres, vti eā paulatim contraxisti. Vt enim arbitror meministi, te quandoq; non esse execrationibus vsū atque ea res non nisi praua consuetudo est. *MILES.* Nō memini fanē me vnquam in omni vita mea maledictis abstinuisse. Quanquā cum puer essem si me fortè pater loquentem audisset, nec execramenta adhibentem, malè mihi precabatur, dicens, quod nunquam in virum aut militem euasurus essem, planè aut maledictis vtendum mihi esse, aut me semper Sybillam quandam vel monacham fore. *MONACHVS.* Ea nimirum pessima fuit institutio: nece a precor apud tuas proles vti velis. *MILES.* Equè proles nullas habeo. *MON.* Proles nullas habes? *MIL.* Ex vxore mea nullas habeo: quæ autem ex adulterio nate sunt, eas nec numerare sufficio. Sed hæc missa faciamus. Librum hunc cuius meministi perlegam, vt dixi, si quid fortassis vnquam certi possim de vita monastica reperire. *MO.* Vt quid hæc de vita tantum explorati habere appetis? *MI.* Causam haud grauatè referā. Cum in minori essem ætate, cernerentq; parentes, me non quantum ipsi voluissent, mundo ac militiæ esse deditum, præsumebant animo inertem ac velut truncum me fore: itaq; in cœnobium quoddam me relegabant. Vbi cū duos exegissem menses, diutius eam vitam ferre non potui. *MON.* Quid tum ætatis habebas annos? *MI.* Septendecim. *MO.* Quid tibi in cœnobio graue erat? *MI.* Vigilare & ieiunare non potui. Vespertinis quidem horis libens ad mediā vsq; noctem poculis indulgissem, vti apud patrem meum consueueram. Tum vero cubitum ire cogebam & duro strato fessa membra

1. Reg. 10. 19.
Hier. 35.1. Reg. 8.
Act. 4. 2.

reponere. At qui non modo somnum capere solus non potui, sed &c. *MO.* E-
 ho tam cito. Reuera iam plus satis mundo plenus eras. *MIL.* Excusso igi-
 tur cucullo, monachis cum maledictis valesceci. *MON.* Nihil interim in mū-
 do acerbius perpeffus es quam illo in cœnobio pertuliffes? *MIL.* Multa pro-
 fectò. Nam & media sæpè hyeme frigida indutus lorifã inter hostium agmi-
 na cum vitæ periculo æquitauit, quando vsq; eo intensa erant frigora, vt pe-
 des non sentirem. Multis etiam noctibus, in tentorijs gelida humo recubui:
 itemque plures noctes aleis & chartarum lusibus infomnes exegi. Interdũ
 etiam belli tempore nec panem habui, quo famem explerem, adeò nihil vs-
 quam efculentum poterat obtineri: contra verò sæpè noctes atque dies con-
 tinuos comedendo, largiter potado, vomedoq; tranfegi. *MON.* Deus bone
 quid audio. *MIL.* Interim nonnunquã vitrũ attritũ, aut tomentũ, vel cal-
 ceamentorum corrigias siue lignũ & alia pleraq; absurda edere oportebat.
MON. Quid te, vt id ageres, cõpellebat? *MIL.* Alius aliũ cõpellere solet. Pro-
 pinat mihi quispiã ipse nihil abnuo, itaque quicquid primũ ille facit idẽ me
 imitari necesse est, tum edendo, tum potando, etiam si sterqus equorum, aut
 canum vrinam prior ille fumpferit. *MONACHVS.* Ista videlicet Euangelioa
 sunt opera. Quisnam hic ordo est bone Deus? õ quam duram præstatis teo-
 tris spiritibus feruitutem. Cõtẽ minori negotio possesit cruciamenta mere-
 ri inferorum. *MILES.* Vbi pariter fumus, nihil id nobis molestiæ adfert.
MONA. Vel hinc ergo colligere possis, quam nihil graue sit Deum amanti,
 diuinash; percipienti consolationes fernire Deo. Et tamen vitam vestram
 Christus laborem & onus appellat, à quo nos liberamur, cùm stauæ Christi
 iugum & leue onus in nos recipimus: tanto scilicet facilius ac tolerabilior
 est Christi, quam cacodæmonis seruitus. *MI.* Hem semper fere ab instituto
 delabimur. *MONAC.* Nihil refert, Cerno equidem magis opus te habere,
 vt de tuapte instituaris vita, quã vel cœnobitica, vel cuiusuis alterius status
 vel ordinis. *MILES.* Verum forsasse dixisti. Attamen libet monachorum
 vitã habere exploratã: neq; tantisper expectare queo, donec libellũ ante me-
 moratum euoluam. Dic igitur, cur hoc genus vestimentũ vtamini. *MONA.*
 Iam scis feci tibi.

Matt. 11.

Num cucullus religiosa sit vestis.

Caput III.

Miles.

Satis fecisti quidem mihi, fateor, cur peculiarem geratis habitum: ac scire
 velim cũm singulare quiddam sectari velitis, qua tandem ratione per-
 moti sitis, vt cucullum tunicæ siue pallio annexum aut scapulare, quod
 vocant, monachi omnes, quotquot mihi videre contigerit, habere decreue-
 ritis, quo sicut, suis cucullis moriones, regimini? *MON.* Iam ante dixi tibi
 simplicem nos atque humilem circumferre habitum, idq; secundũ spi-
 ritum, non pro mundi saltu vel gloria. Atque istiusmodi indumenti species,
 vel forma, nedum in veteri, sed etiam nouo testamento in vestibus cultus
 Dej præcipuè in vfu fuit. In veteri quidem testamento, cũm Deus vestes, qui-
 bus Aaron Pontifex, & post eum summi præfules vti deberent, exprimeret
 etiam

Exo. 28. 29